

bus etiam expressim primæ positæ a nobis legi adscripsimus: hoc est, sive supresse contigerit talium filiorum patres, sive mori: nondum vero huiusmodi negotio aut decreto aut transactione finis acceptus est: secundum hæc tales causæ ad leges a nobis positas deducantur: exceptis illis negotiis, quæ contigit ante leges a nobis positas aut decreto iudicium aut transactione determinari.

## EPILOGUS.

Quæ igitur nobis placuerunt, et præsentē sacra declarata sunt lege, tua sublimitas manifesta omnibus facere studeat. — Dat. 15 kal. Aug. Constantin. p., post consulatū BELISARII V. C.

## TIT. VII.

## DE ADMINISTRANTIBUS OFFICIA IN SACRIS APPELLATIONIBUS.

## NOVELLA CONSTIT. XX.

Imp. JUSTIN. AUGUST. Joanni gloriosiss. sacrorum prætoriorum præfecto, iterum exconsuli et patricio.

## PREFATIO.

Jam quidem sacram fecimus legem<sup>2</sup> de appellationibus eloquentem, quem oportet servari modum super eis, et unde ad quos fieri appellationes quasque deceat: quam tam ad tuam celsitudinem, quam ad gloriosissimum misimus quæstorem. Quia vero plurima facta est dubitatio de administrantibus eis officiis: cum ii qui ex sacro quidem epistolæ scriinio sunt spectabilium iudicium, vindicarent sibi appellationis ministerium: qui vero ex sede tuæ sunt celsitudinis, maxime dicerent se hædi, si mutato schemate, nequaquam soli appellationibus ministrarent: si quæ a clarissimis provincialium iudicibus veniunt ad solum tuum iudicium, sicut prius erat dum in divino quidem ipse audires consistorio, ministraret vero officium tuum: sed propter spectabilem schemata in ordine sacri auditorii negotio moto, et pariter audiente tua celsitudine cum gloriosissimo nostro quæstore, utriusque partis totum sibi applicarent: congregatis apud tuam celsitudinem et gloriosissimum nostrum quæstorem sæpius et iis qui ex sacris scriniis appellationibus ministrant, et qui ex tuæ sedis celsitudine et officio: novissime ad quandam formam causa perducta est, quam ex non scripto ad nos deluxistis. Causa vero nobis non incongrua visa placuit: et interim, quoniam Paphlagonia et Honoria divisæ prius in iudices duos, in unum eundemque reductæ sunt prætoris nomen suscipientem: hoc indubitate placuit schema tuo competere cingulo. Hoc idem et in duobus aliquando positis, hoc est, Hellesponto, et Ponto Polemonico: nam et illie duobus constitutis prius iudicibus, nunc autem uno moderatore facto, et decorato etiam ipso spectabilium dignitate, rursus hoc proveniebat: et ad tuum solummodo iudicium ferri appellationum lites oportebat, secundum terminum tamen constitutionis de appellationibus.

## CAP. I. Ut sola cohors P. P. ministret in ejus appellationibus.

Complacuit igitur simul iis quidem officiis utriusque administrationis, simul autem vobis ambobus insuper et nobis recte se habere visum est, solum officium tuæ celsitudinis talibus ministrare appellationibus, sicut et prius fuit, et in schemate sacri auditorii dicantur, et adsit gloriosissimus noster quæstor, et participes sit gestorum.

## CAP. II.

Sed etiam quoniam primæ<sup>3</sup> Cappadociae præses prius ad tuum cingulum respiciebat solum, et tibi appellationes ferebantur: nunc autem in spectabilis proconsulis figuram mutatus est, nihilominus competens est et illam administrationem appellationem suscipientem et mittentem, hic litem secundum nostram constitutionem ordine sacri nostri auditorii eam examinari: præsentē quoque gloriosissimo nostro quæstore, et pariter audiente negotium, solo officio ministrante tuo: quoniam et prius hoc solum erat: nam etsi spectabilis comes donum permixtus est, tamen neque pridem multæ quædam movebantur causæ apud eum: neque ex iudicio ejus ferebatur aliqua pene appellatio hic. Nunc autem quæ circa ararii dispensationem sunt, et aliis hæc quibusdam tradidi-

TIT. VII. — 1. Fac. N. 62; L. 2, C. de legib. — 2. L. ult. C. de temp. et reper. appellat. — N. 23. — 3. N. 8, c. 18, § 24. — 4. d. N. 8, c. 18, § 45. — 5. Adde N. 51, c. 1, § 3. — 6. Immo

mus: et non oportet ob hoc minui sedem tuam: sed similiter tuum ministrare officium solum hic delatis negotiis.

## CAP. III.

Hoc ipsum etiam in Armenie proconsule<sup>4</sup>: quoniam prius administrationem eam ordinariam<sup>5</sup> facientes, et nunc nihil ei addentes, in proconsulis figuram mutavimus. Etenim inde venientibus litibus tuæ celsitudinis ministravit officium, lite quidem in ordine sacri auditorii (sicut prædiximus) movenda apud eos: apud autem ambos vos examinanda: nihilominus autem officio tuo ministrante causæ, sicut prius fuit, dum solum administrationis ordinariæ haberet schema, majore ordine non suscepto.

## CAP. IV.

Quoniam vero Lycaoniam et Pisidiam et Isauriam sub iudicibus primitus constitutas, et appellationes destinantes ad sedem tuam, nunc decorari prætorum<sup>6</sup> cingulo contingit: licet videatur quodammodo permixtum quoddam ei etiam militare officium: quoniam prius et dux in utraque harum provincialium fuit: necessario nobis se habere placuit propter hanc novitatem, soli sedi tuæ et gloriosissimo quæstore tradere appellationum examinationem: cedere quoque clementius tuo officio, ut iis quæ super hoc aguntur, ministrent: unde sive aliquid factum est tale prius, sive etiam postea fiat: eundem ordinem causæ imponi sancimus.

## CAP. V.

Quia vero dæ fuerunt ministraciones pure et comitis Orientis, et iudicis primæ Syriæ: et civiles quidem hujus administrationis appellationes ad tuam referantur sedem, officio administrante solummodo tuo: comitis autem Orientis, utpote spectabilis, in sacrarum auditionum figura, ad sedem tuam et gloriosissimi quæstoris veniebat, solis qui ex sacris sunt scriniis ministrantibus.

## CAP. VI.

Sed hoc in hac parte nobis bene se habere visum est, in hac videlicet administratione commune dare ministerium, et iis qui ex sacrarum epistolæ scriinio sunt, et qui ex officio tuæ celsitudinis: quod enim prius duorum vicariorum fuit Pontica et Asia, et omnino innovatum est, et in unius administrationem solius provincie mutatum (dicimus autem aliud Galatiæ, aliud autem Phrygiæ Pacatiæ) veniat quidem tam ad tuam celsitudinem, quam ad gloriosissimum quæstorem: solum autem modo ministerium suscipiat officium sedis tuæ.

## CAP. VII.

Illud tamen sancimus, ut ex administrationibus nunc a nobis adinventis, et mutantibus antiquum schema, sive hoc ipsum secundum naturam propriæ iudicetur administrationis, sive etiam ex delegatione nostra, idem servetur schema: et tibi solum administrare officium tuæ celsitudinis sancimus.

## CAP. VIII.

Similiter sive ex delegatione, sive ex cinguli natura appellatio veniat, officium tuæ celsitudinis ministrare appellationibus sancimus: sive etiam ex delegatione nostra, similiter officii erit tui.

## CAP. IX.

In quibus autem commune diximus et tuorum officiorum et sacri scrinii ministerium, similiter commune servamus, sive ex delegatione, sive (secundum quod dispositum est) in iudicio fiat examinatio. Super illis tamen litibus quas non spectabiles iudices iudicant, sed advocati solum: referatur negotium tam ad sedem tuam, quam ad gloriosissimum quæstorem devotissimis libellis<sup>7</sup> ministrantibus eis: quoniam dum nihil omnino super istis innovatum sit, antiquam servamus figuram, sicut etiam in aliis omnibus non innovatis antiqua ministeria manere in semetipsis disposuimus, nulla novitate faciendâ: accedens namque novatio, alter quodammodo oportere fieri etiam ministrantium ostendit figuram.

## EPILOGUS.

Quæ igitur placuerunt nobis, et per hanc sacram declarata sunt legem: tua celsitudo omnibus faciat manifesta edictis destinatis a se: ut omnes cognoscant quæ nobis sunt placita. — Dat. 15 kal. april. C. P., post consulat. BELISARII V. C. 535.

vide N. 8, c. 18, § 19, 20; N. 27. — 7. Adde L. ult. C. ubi senat.; L. 52, C. de appellationibus

## TIT. VIII.

DE ARMENIIS<sup>1</sup>.

## NOVELLA CONSTIT. XXI.

Imper. JUSTINIAN. AUGUST. Acacio proconsuli Armeniæ.

## PREFATIO.

Armeniorum regionem bene legibus gubernari volentes, et nihil ab alia nostra differre republica, et administrationibus eam Romanis ornativimus, prioribus eam liberantes nominibus et figuris uti Romanorum assuevimus, sanctionesque non alias esse apud eos quam quas Romani nominant, disposuimus, et existimavimus oportere expressa lege illud quoque corrigere, quod male apud eos delinquebatur, et non secundum barbaricam gentem virorum quidem esse successiones tam parentum quam fratrum et alterius generis, mulierum<sup>2</sup> vero nequaquam neque sine dote eas ad viros venire, nec emi a maritis futuris, quod barbarice hactenus apud eos servabatur, non ipsis solummodo hæc ferocibus sententibus, sed etiam aliis gentibus ita exonorantibus naturam, et semineum injuriantibus genus, tanquam non a Deo sit factum nec serviat nativitati, sed tanquam vile et exonorandum, et extra omnem competentem honorem.

## CAP. I.

Sancimus itaque per hanc sacram legem, et apud Armenios hæc ipsa tenere, quæ et apud nos occasione successione feminarum, et nullam esse differentiam masculi et femine: sed sicut et in nostris legibus dispositum est, secundum quam figuram heredes existant parentum, hoc est, patris et matris, et avi et aviæ, et adhuc longius, vel eos qui post ipsos sunt, hoc est, filii et filia, et quemadmodum ipsi hæreditatem transmittant, ita apud Armenios esse, et nihil Armeniorum leges a Romanorum differre. Si enim nostræ reipublicæ sunt, servantque nobis cum aliis gentibus et omnibus nostris fruuntur, nequaquam solæ apud eos femine nostra æquitate repellentur, sed omnibus sub æquitate nostra erunt leges, quascunque et ex veteribus collegimus et in nostris posuimus Institutis atque Digestis, et quascunque ex imperiali legislatione tam priorum imperatorum, quam nostra conscriptæ sunt.

## CAP. II.

Hæc igitur omnia valere per omne tempus sancimus incipientia a principis presentis quartæ decimæ indictionis et hujus secundum quam hanc scripsimus legem. Nam et antiquiora perscrutari, et ad superiora tempora ascendere, confusionis magis quam legislationis est, sed ex temporibus (sicut prædiximus) presentis quartæ decimæ indictionis tantum et in subsequenti universo tempore successiones maneat similes: ex omni causa quæ in successionebus relata est, similiter in mulieribus, similiter in viris de cætero servandis. Quod autem prius factum est, omne manere in priori figura sinimus, sive in progenitorialibus, sive in aliis factum est, nihil omnino communicantibus femineis personis super jam divisus progenitorialibus prædiis aut factis successionebus usque ad tertiam decimam indictionem et hanc, sed ex memorato tempore, hoc est, quarta decima indictione, valere quæ a nobis sunt legislata, sancimus.

## EPILOGUS.

Quæ igitur placuerunt nobis, et per hanc sacram declarata sunt legem, tua magnificentia, et qui post eam administrationem susceperint, in perpetuum custodire festinent. — Dat. 15 kal. april., post BELISARII V. C. consulatū.

## COLLATIO QUARTA.

## TIT. I.

DE NUPTIIS<sup>1</sup>.

## NOVELLA CONSTIT. XXII.

Idem imperator Joanni gloriosiss. sacrorum per Orientem prætoriorum præfecto, iterum exconsuli et patricio.

## PREFATIO.

Plurimæ quidem jam variaeque positæ sunt leges a nobis unicuique

TIT. VIII. — 1. Adde Edict. 3. Nov. 8, c. 18, § 22, 23, 43. — 2. L. 14, C. de legitimis heredibus, N. 118, c. 4. — 3. L. 1, C. de legib. — 4. L. 120, D. de verb. sign. — 5. L. 1, 2;

parti prius a nobis sancitorum quidem aut dispositorum, visorum autem nobis habere non recte, ad meliora dantes viam, et exponentes subjectis quo competat degere modo: hoc autem quod nunc a nobis fit, lex quædam est communis omnibus et propria, rebus competentem ordinem ponens. Si enim matrimonium sic est honestum, ut humano generi videatur immortalitatem<sup>2</sup> artificiose intrudere, et ex filiorum procreatione renovata genera manent: jugiter Dei clementia, quantum est possibile, nostræ immortalitatem donante naturæ, recte nobis studium est de nuptiis. Alia namque omnia quæ sancita sunt a nobis, non omnibus competunt, nec hominibus, nec rebus, nec temporibus: studium vero nuptiarum totius est (ut ita dicatur) humanæ sololis: ex quo etiam renovatur solo: et ampliori quam alia sollicitudine dignum est. Antiquitas equidem non satis aliquid de prioribus aut secundis perscrutabatur nuptiis: sed licebat et patribus et matribus et ad plures venire nuptias, et lucro nullo privari: et causa erat in simplicitate confusa. Majoris autem Theodosii temporibus amplior sollicitudo facta est circa hujus rei tractatum, donec circumiens per cæteros imperatores, in Leonem<sup>3</sup> pie memoria pervenit, virum fortiter atque viriliter etiam de istis plerumque sancientem. Nos autem in constitutionum compositione multa quidem et alia de istis decrevimus: existimavimus autem oportere nunc consiliis perfectioribus causam considerantes etiam quædam corrigere, non aliorum solummodo, sed etiam quæ a nobis ipsis sancita sunt. Non enim erubescimus<sup>4</sup> si quid melius etiam horum, quæ ipsi prius diximus, adveniamus, hoc sancire, et competentem prioribus imponere correctionem, nec ab aliis expectare corrigi legem.

## CAP. I. Ut hæc constitutio in futurum valeat, non in præteritum.

Duo<sup>5</sup> igitur hæc præmittantur huic legi. Et primum illud: ut omnia quæcumque in prioribus sancita sunt, sive a nobis, sive a prioribus nostris, hæc valeant singula secundum propria tempora non habentia ullam ex præsentē lege novitatem: sed et in suis casibus valitura atque tractanda: et suos eventus ex iis quæ jam positæ sunt legibus expectantia, et nihil communicantia presentē legi. Presentem vero legem ex nunc valere volumus in omnibus futuris casibus, et in omnibus postea nuptiis, sive prioribus, sive deinceps, et in posteris aut futuris, sive nuptialibus lucris, sive successionebus quæ ex filiis sunt: etenim quod quidem omne jam præcessit conscriptis relinquimus legibus: quod vero futurum est, per presentem munimus legem. Unde sive secunda provenierint nuptiæ, sive parentibus successiones ex prioris matrimonii filiis, sive lucra ex dotibus, aut antenuptialibus donationibus, aut ex alia causa: sive existentibus ex secundo matrimonio filiis, sive etiam non: in prioribus temporibus hæc serventur secundum sua singula tempora: et fruuntur tam viri quam mulieres prioris legislatione, sive ad alias venerint nuptias, sive etiam usque ad priores steterint: sive successerint filiis, sive aliquid omnium egerint priores sequentes leges. Illis enim credentes, et ita contrahentes nullus culpabilis quare non futurum sciverunt: et hoc quod videbatur quidem et tractabatur omnibus modis crediderunt: quod vero nondum factum erat, non formidaverunt. Unde illa quidem omnia manent suum servantia ordinem: deinceps vero tempus in posterioribus pariendis casibus omnia in una hac lege posita atque collecta respiciat quæcumque de futuris (sicut dictum est) nuptiis competunt valere. Unum itaque hoc præmittatur legi.

## CAP. II. Ut penam hæc lege secundis nuptiis constitutam, conjuges testamento sibi remittere possint.

Secundum vero illud: Ut omnia quæcumque ex hodierna die testator disposerit de talibus sive vir sive mulier consistat, hæc valeant. Disponat itaque unusquisque super suis, ut dignum est, et sit lex, ejus voluntas: sicut et antiquissima nobis lex et prima pene reip. Romanorum disponens ait, (dicimus autem duodecim tabularum) secundum antiquam et patriam linguam ita dicens, nisi legassi quisque de sua re, ita jus esto, nullo valente citra illius voluntatem, nec si sacram impetret formam, nec si quidpiam aliud omnium, aliquid aliter disponere in rebus alienis. — § 1. Si vero nihil testator dixerit aut disposerit, quod non jam positus et valentibus præoccupatum sit legibus nec aliquid contra universales leges ordinaverit: tunc hæc nobis lex posita sit, omnia quantum est homini possibile comprehendens et transiens in brevi, et ea quæ in prioribus erant corrigens nuptiis, et quæ in secundis et ea quæ in successionebus et in solutionibus nuptiarum, sive ex morte, sive ex separatione: et ea quæ ante luctuosum tempus sunt, et post illud, et unam quandam continuationem faciens totius hujus conscriptionis atque legislationis: olim quidem inchoatam, ex quinque vero præcipue et

5. C. de secundis nupt. — 4. L. 6, C. d. t. — 5. L. 8, 9, 10, 11, C. d. t. — 6. Adde L. 20, P. de iudicium, lib. 1. — 7. Authent. Ad eos, C. de secundis nupt. — 8. Inst. de lege Falidia in 1. 1, § 1, D. ad leg. Falidia. § L. 120, D. de verb. sign.



quinquaginta et centum annis frequentius motam, et particulariter correctam simul, et paulatim colligatam ad semetipsam et coherentem, et confusam in plurimis, et quadam semper egentem correctione, puramque et consonam sibi omnino declarans.

CAP. III. Efficiens nuptiarum, et quæ res constituat nuptias, sive dissolvat.

Nuptias itaque affectus alternus facit, dotalium non egens augmento cum enim semel convenerint sub puro nuptiali affectu, sive etiam obligatione dotis, et propter nuptias donationis oportet causam omnino sequi etiam solutionem aut innoxiam, aut cum pœna: quoniam eorum quæ in hominibus subsequuntur, quicquid ligatur, solubile est. Ut autem etiam super indotatis matrimoniis distractione facta, pœna merito subsequatur: hoc nos advenimus primi.

CAP. IV. Contraria nuptiarum, et de divortiis bona gratia factis, et aliis modis.

Distrahuntur itaque in vita contrahentium matrimonia: alia quidem consentiente utraque parte: pro quibus nihil hic dicendum est, pactis causam sicut utriusque placuerit gubernantibus: alia vero per occasionem rationabilem, quæ etiam bona gratia vocatur: alia vero citra omnem causam: alia quoque cum causa rationabili.

CAP. V. De monachismo.

Secundum occasionem itaque inculpabilem, quando conversationem altera eligit pars, ad meliorem migrans vitam, et sub castitate conversationem concupiscens: tunc enim lex alia nostra dicit licentiam esse viro et mulieri ad meliorem migranti, transigere matrimonium, et abscedere, quodam brevi dimisso, et qui relinquuntur, solatio. Quodcumque enim paci fuerint, contrahentes ex morte fieri lucrum, hoc habere oportet eum qui dimittitur ab altero sive vir, sive mulier sit: eo quod et iste, quantum ad matrimonium, videtur mori, aliud pro alio vitæ eligens iter.

CAP. VI. De impotentia.

Per occasionem quoque necessariam et non irrationabilem distrahitur matrimonium, quando aliquis impotens fuerit coire mulieri, et agere quæ a natura viris data sunt: si biennium quidem secundum de hoc a nobis pridem scriptam legem transcurrat ex nuptiarum tempore: ille vero, quia pro veritate est vir, non ostendat: licebit enim mulieri aut ejus patribus, disjungere matrimonium, et mittere repudium, vel si noluerit hoc maritus: et hic siquidem dos (si qua omnino data sit) sequatur mulierem: et reddet hanc vir, si contigit eam accipi: propter nuptias autem seu ante nuptias donatio manet apud virum, nihil de suo damnificandum. Hanc itaque legem corrigimus brevi quadam adjectione: non enim biennium numerari solum ex ipso tempore copulationis, sed triennium volumus: edocti namque sumus ex iis, quæ ante hæc provenerunt, quosdam amplius quam biennium temporis non valentes, postea potentes ostensos ministrare filiorum procreationi.

CAP. VII. De captivitate.

Sed etiam captivitas casus talis est, quale est bona gratia distrahere matrimonium: sive enim contingat tale infortunium viro, muliere in repub. manente, sive rursus mulier quidem in captivitate ducatur, maneat autem vir in republica: scrupulosa quidem et subtilis ratio transigit nuptias: (servitute namque semel superveniente alteri personæ fortunæ inæqualitas æqualitatem ex nuptiis manere non sinit) attamen humanius talia contemplantur, donec quidem est manifestum superesse aut virum, aut uxorem, manere insoluta matrimonia finimus: et non veniant ad secundas nuptias neque mulieres, neque viri, nisi voluerint videri ausu temerario hoc egisse, et pœnis succumbere: illum quidem ante nuptias donationis dicimus exactioni, illam vero dotis. Si vero incertum sit, utrum superest, an non quæ ad hostes persona devenit: tunc quinquentium expectandum est sive a viro, sive a muliere: post quod, sive manifestum de morte fiat, sive incertum maneat, nubere licebit sine periculo: hoc enim et in nuncupatis bona gratia transactionibus, a præcedentibus connumeratum est: nos quoque in hoc consentimus, ut hic neque repudio fiat opus, ita personis distantibus ab alterutris, et nullus ex hoc lucrabitur, neque vir dotem, neque mulier ante nuptialem donationem, sed unusquisque in suis manebit.

9. Excep. N. 117, c. 4.—10. L. 9. C. de repudiis; abrog. N. 117, c. 10; 154, c. 21.—11. N. 98, c. 2, § 2; L. 63, pr. D. de don. inter vir. et uxor.; L. 14, § 4, D. qui et a quib. manu. N. 117, c. 12; 123, c. 38, § 9 et 40; L. 36, pr. C. de episcopis.—13. L. 61, D. de don. inter vir. et uxor.; d. N. 117, c. 12; L. 10, C. de repudiis.—14. d. L. 10.—15. N. Leon. 33.—16. L. 45, in fin. D. de ritu nupt.; L. 1, D. de divort.; L. 56, D. soluto matrim.; L. 12, §

CAP. VIII. De servitute pœnæ.

Quod autem prius ex legum severitate introductum est, nos clementi cessione resolvimus. Si enim ex decreto judiciali in metallum aliquis aut vir aut mulier dari jussus esset, (quale nunc est in Proconneso et in appellata Gypso) servitus quidem erat et ab antiquis legislatoribus sancita, et ex supplicio illata: separabatur vero matrimonium, supplicio possidente damnatum, sibi que servientem. Nos autem hoc remittimus: et nullum ab initio bene natorum ex supplicio permittimus fieri servum. Neque enim mutamus nos formam liberam in servilem statum: qui etiam dudum servientium manumissores esse festinavimus. Maneat igitur matrimonium hoc nihil ex tali decreto læsum, utpote inter personas liberas consistens.

CAP. IX. Servilis conditionis detectio.

Si vero decretum judiciale libertum aut libertam aut horum filios in servitute redigat: constat quidem ab initio matrimonium, postea vero apparens servitus separat eos ab invicem, tanquam morte secuta: quoniam præcedentes nos dicunt supervenientem servitute non procul a morte differre. Idcirco hoc quidem quod proprium est, unusquisque recipiat: placitum vero solum quod ex morte est, liberis acquiratur: reliqua vero veniant ad eum qui redigitur in servitute.

CAP. X. De iis qui ancillam duxerunt putantes esse liberam.

Si vero ab initio putaverit aliquis libere jungi personæ, illa vero famula postea declarata existens: non dicimus solvi matrimonium, sed ab ipso initio neque matrimonium fieri, secundum prius a nobis dictam causam, propter inæqualitatem fortunæ: unde neque lucrum ex matrimonio contemplandum esse neque aliquid tale esse, sed puram rem competentium per congruas actiones redditionem. Hæc autem decernimus: et tale non esse dicimus matrimonium, si causam animus incertus disponat solum, neque consensu domini, neque malignitate ejus aliqua, neque negligentia convicta.

CAP. XI.

Nam si tradiderit tanquam liberam suam ancillam dominus: ille autem liber existens, et credens tradenti hanc accipit, forsan etiam dotalibus celebratis documentis, aut neque celebratis quidem, ejus autem voluntate causam gubernante: non erit justum, tale non constare matrimonium: sed tacitam libertatem sequi sive virum, sive mulierem. Et cum tale aliquid a domino fit: sancimus, et rapi talem virum aut fœminam ad ingenuitatem et causam tanquam super liberis, et ingenuis judicari. Si vero ipse quidem non celebraverit nuptias, alterius personæ dominus, sciat autem quod agitur, et ex studio taceat, ut postea causam sarciat alteri conjunctorum: ulciscimur hujusmodi, si aperta probetur nequitia: et privamus dominum ita maligne cogitantem: sitque rursus hoc etiam matrimonium, tanquam si consensisset dominus ab initio: et ille quidem cadat dominio, ad ingenuitatem vero servilis persona rapiatur: hoc ipso eveniente effectu, sive consensit, sive malignatus est dominus. Palam itaque est, quia etiam filii ex talibus nuptiis, liberi et ingenui secundum hanc nostram erunt legem.

CAP. XII. De servo et ancilla egrotante.

Et multo potius hæc valeant, si contigit dudum servum aut ancillam seu languentes devoluisse, seu etiam contempsisse eos, aut etiam amisisse super dominio adversus eos voluntatem. Illi namque utpote jam constituti liberi, et secundum pro delicto titulum sui, et non aliorum existentes, non in posterum inquietabuntur ab iis qui possidere eos olim odio habuerunt.

CAP. XIII.

Deportatio tamen in quam migravit, et antiqua ignis et aquæ interdictio, quam aqua et igni interditionem vocant nostræ leges, non solvit matrimonia: hæc enim et sacratissimum pridem placuit Constantino elementens quædam causa, et a nobis quidem probata est, præserti vero non copulata legi: unde neque effectus causæ dicendi sunt, cum in suo maneat ordine.

CAP. XIV. Quintus modus disjungendi matrimonii bona gratia, et de desertione.

Novimus autem, et hujus nostræ felicis civitatis conditorem (divinæ memoriæ dicimus Constantinum) scripsisse legem, secundum quam si quis in expeditione fuerit, et tacuerit ad uxorem per quadriennium,

4. D. de captivis.—17. L. 6, D. de divortiis.—18. Authent. Sed hodie, C. de don. inter vir. et uxor.—19. L. ult. C. de penis; N. 145, c. 1.—20. L. 17, pr. D. de penis; § 3, Inst. quib. mod. jus patr. potest solvi.—21. L. 5, C. de incest. et inult. nupt.—22. Authent. Ad hoc, C. de Latina libert. toll.—23. d. L. 5.—24. d. Authent. Ad hoc.—25. L. un. § 3, C. de Latina libert. toll.—26. L. 1, C. de repudiis; L. 5, § 1, D. de bon. damnat.; vide tamen L. 56, D. soluto matrim.—27. L. 7, C. de repudiis.

et nullum ei fiat ab illo signum ejus circa eam affectus, tunc licentia sit mulieri ad secundas nuptias veniendi, offerenti prius libellum militiæ principi, et hoc ipsum testificanti: et si hoc fiat, inculpabiliter mulier ad virum alterum transiet, et non damnificabitur quidem dote: non tamen antenuptialem donationem lucrabitur. Hoc itaque sacratis. Constantinus. Vehementer autem nobis immature habere illa constitutio videtur: actibus enim bellicis occupato marito, uxoris privationem inferre non minor est pœna, quam ab hostibus capi. Ideoque non prius ad virum veniat secundum hujusmodi mulier, quam legislator iste proposuit, quam etiam decennii transeat tempus, et hæc importuna quidem sit viro mittens nuptias, aut per aliquos verbi utens ad eum: ille vero aut aperte renuat nuptias ejus, aut absolute conticeat: tunc quoque libellum offerat, aut gloriosius magistro militum, aut spectabili duci, aut clariss. tribuno, sub quibus ipse miles est: tunc enim licentiam damus, et preces porrigere imperatori, et inde hoc promereri. Sciat autem, quia si citra hoc aliquid egerit: tanquam temerarie nubens legitimis penis subjacebit.—§ 1. Mitiores itaque nuptiarum solutiones, tanquam generali quadam ratione sub bona gratia factis disjunctionibus, sciendum est tales esse quodammodo.

CAP. XV. Causæ repudiorum.

Cæteræ vero causam quærunt inspicere, aut a viro aut ab uxore factam, ut damnificent temerarium in casu eorum quæ ab eo data sunt: dotis dicimus, aut propter nuptias donationis. Sed harum causarum antiquiores quidem faciabant plurimos diversosque tractatus: Theodosius autem junior alias quidem causas deinde sumens, alias autem et ipsè adveniens, de repudiis scripsit constitutionem: a nobis autem, et alia quædam adinventæ sunt causæ, quas recte habere perspeximus ad culpam referri ejus qui succubuerit.—§ 1. Si igitur secundum Theodosii piæ memoriæ constitutionem valuerit mulier ostendere maritum aut adulterio delinquentem, aut reum homicidii, aut veneficis, aut seditionibus occupatum, aut (quod pessimum omnium peccatorum est) communicantem delicto (dicimus autem machinatum aliquid contra ipsum imperium) aut condemnatum falsitatis, aut sepulchra effodientem, aut ex aliqua sacramentorum aliquid rapuisse, aut latrocinii sectantem vitam, aut latrocinantes suscipientem, aut unum eorum qui appellantur abigei (quibus est cura alienis insidiari animalibus aut jumentis, et ea transponere alibi) aut probet plagiarium esse, aut ita luxuriose viventem, ut inspiciente uxore cum aliis corrumpatur, quod maxime mulieres nuptas, utpote circa cubile stimulas, exasperat, et præcipue castas, aut si insidias se passam a viro probet circa ipsam salutem, aut venenis, aut gladio, aut per alium aliqueum talem modum, (multæ namque hominibus ad militiam viæ sunt) aut etiam si flagellis super ea utatur. Si igitur mulier tale aliquid ostendere poterit, licentiam ei dat lex repudio uti, et nuptiis abstinere, dotemque percipere, et antenuptialem donationem totam, non solum si omnes simul probaverit causas, sed etiam si secundum se unam.—§ 2. Et rursus licentiam dat viro mulierem abicere, si adulteram inveniat, aut veneficam, aut delinquentem homicidium, aut plagiarium aut sepulchrorum violatricem, aut sacrilegam existentem, aut faventem latronibus, aut viro nesciente vel etiam prohibente gaudentem conviviis aliorum nihil sibi competentium: vel etiam invito viro citra rationabilem causam foris pernoctantem, aut extra ejus voluntatem circensibus congaudentem, et spectaculis inhærentem, aut theatris advenientem, (dicimus autem ubi scæna, et talia sunt, aut etiam ubi bestiis adversus homines pugna est) aut insidias sibi facientem ex venenis, aut gladio, aut alio factas modo, ex quibus circa vitam periculum est, aut etiam consciam tyrannidem meditantibus, aut falsitatis ream constitutam, aut audaces ejus manus inferentem sibi, scilicet tali aliquo facto dat lex hæc viro abicere mulierem, si vel unam harum, et solam probaverit causam: et lucrari quidem dotem, antenuptialem vero habere donationem.—§ 3. Si vero altera harum personarum irrationabiliter repudium miserit, et hoc ipsum solvendi matrimonium sine ratione: subdita erit dudum a nobis dictis penis. Insuper etiam uxor rea omnino ex memoratis causis pro irrationabilis repudiis missione facta, et in quinquentium totum ad secundum venire prohibetur matrimonium, et ante quinquentium nuptias non esse sine rætu, neque legitimis vocari: sed omnis volens adeat, et scuset factum, tanquam contra legem presumptum.

CAP. XVI.

Si vero etiam rationabiliter mulier repudium miserit, et in certaminibus vicerit, aut vir irrationabiliter eam abiciens subjecerit penis:

28. Mutat. N. 117, c. 11.—29. N. 117, c. 9; L. 5, § 2, C. de repudiis.—30. N. Leon. 111, in fin.—31. d. L. 8, § 2, in fin.—32. d. L. 8, § 2; d. N. 117, c. 8.—33. Vide tamen L. 29, § 4, D. ad leg. Jul. de adulter.—34. N. Leon. 31, in fin.—35. c. 15, in fin. infr. hic: L. 11, § 3, D. de his qui not. infam.—36. L. 15, C. ex quib. caus. infam.—37. N. Leon. 31:

lucretur quidem lucra primitus dicta: erubescat autem ante annum completum ad secunda vota venire. Quod non observandum nobis est in viro irrationabiliter obtinente talia lucra: cum et non obtinenti etiam repente nuptias facere licet: quoniam nulla circa sobolis confusionem rationabilis est suspicio: quod in mulieribus ante anni completionem recte prohibetur: et tanta est prohibitio ex hoc, quia licet bona gratia dissolvi matrimonium contingat, tamen etiam ex Anastasii piæ memoriæ constitutione, in annum prohibitio secundarum nuptiarum mulieribus instituta est.—§ 1. Has itaque causas nobis Theodosius explanavit: nos autem ex veteribus sumentes, et alias adjecimus tres. Si enim mulier tanta teneatur nequitia, ut etiam ex studio abortum faciat, virumque contristet, et privet spe filiorum: vel tanta libido est, ut etiam cum viris voluptatis occasione lavetur: aut etiam dum adhuc constat matrimonium cum viro, ad alios de nuptiis suis loquatur: licentia datur a nobis, viris mittere eis repudia, et lucrari dotes, et antenuptiales habere donationes: utpote etiam his causis rationabiliter solvere valentibus matrimonium: et sub eundem deferentibus ordinem, sub quem et pœnas Theodosii divinæ memoriæ definivit constituitio.

CAP. XVII. De adscriptio, qui liberam mulierem habere non potest.

Adscriptio autem alieno nubere liberam non licet, neque ignorante, neque sciente, neque consentiente possessore: sed licet aliquid tale ab adscriptio geratur, licebit domino et ipsi per se et per provinciam iudicem, castigare plagis mediocribus hoc agentem adscriptitium, et abstrahere ab ea quæ frustra ei conjuncta est: unde neque nuptiæ sunt quod factum est, nec oblatio dotis, nec antenuptialis donationis: sed pura facti mali correctio.—§ 1. Sic itaque matrimonia dissolvuntur viventibus adhuc iis qui ea contraxerunt: et pecuniariæ pœnæ circa dotem et sponsaliam consistunt donationem.

CAP. XVIII. De nuptiis sine dotalibus instrumentis contractis.

Sed a nobis aliquid etiam aliud adinventum est, ut etiam indotata matrimonia irrationabilibus factis divisionibus castigationi tradantur competentis. Si quis enim duxerit uxorem, aut etiam mulier ad virum veniat, nuptiali quidem assumpta voluntate atque sententia, non tamen secuta dote, aut sponsalitia largitate, (ubi quoque presumptive fieri solutiones contingebat, nullo ex hoc contra temerarium sequente periculo) constitutionem scripsimus dicentem: Si quis sub potestate constitutum mulierem voluntate parentum, aut etiam suæ potestatis forte ducat uxorem, neque dote oblata, neque instrumentis dotalibus factis: nuptiæ quidem sunt, licet dotalia instrumenta non sint conscripta: ut non ob hoc vir (quod in multis novimus factum) expellat domo uxorem sine ulla prius dictarum rationabilium causarum, quasque et Theodosius, quasque et nos enumeravimus. Si quid autem tale fiat, et aut sine causa cum abjecta domo, aut etiam ipse rationabilem causam præstet, ut mulier separetur ab ejus matrimonio: quartam partem propriæ substantiæ cogatur exsolvere ei: et usque ad quadringentas quidem auri libras substantiam habens, centum libris damnificabitur, hoc est quarta substantiæ parte: minorem autem hac, in quantum quartæ facit quantitas. Si vero etiam majorem prædictæ quadringarum auri librarum quantitatis substantiam habeat: non amplius centum auri damnificetur libris: ad maximam namque plerumque respicientes dotem, legem hanc scripsimus: substantiam illam merito secundum nostras leges existimantes esse, que pura debitis videatur. Ratio quoque ex ipsis causis e contrario procedat. Et si mulier per culpam propriam separetur a viro indotata existens, aut etiam mittat ei sine aliqua causa rationabili repudium: iisdem in omnibus subjaceat penis: et si quidem per culpam ejus matrimonium solvatur, quinquentium observandum est mulieri, et secundis non copulabitur nuptiis: si vero per causam vel culpam mariti, aut etiam bona gratia distrahatur: merito, et hic annum custodiat, propter seminis confusionem: ut per omnia nobis lex perfecta sit.

CAP. XIX. De repudiis quæ a filiisfamilias mittuntur.

Est quoque quoddam, et aliud a nobis piissimum simul et gratum adinventum, ubi etiam repudiis missis nuptiæ consistant adhuc. Eorum namque qui sub potestate sunt calliditates circa parentes habitas prohibemus: quoniam quosdam invenimus ex studio repudia scribere festinantes, et mittere suis uxoribus, aut etiam ex diverso, et nulla rationabili penitus existente causa, solvere matrimonia, ut eorum parentibus subjaceant exactioni dotis, aut sponsalitiæ largitatis, quasi soluto matrimonio: et ipsi quidem forsan latentem miserunt alterutris: discedunt autem parentes damnificati, et hanc suam ad filios humanitatis habentes

add. L. 59, D. de penis.—38. N. 117, c. 8, § 4; L. 11, § 2, C. de repudiis.—39. N. Leon. 30.—40. Authent. Ad hoc, C. de Latina libertat. toll.; L. ult. C. de agricolis et censit.—41. L. 11, C. de repudiis.—42. Fac. L. ult. C. ad SC. Vellei.—43. d. L. 11, § 1; N. 117, c. 5.—44. Fac. L. 6, in fin. D. de usuris.—45. c. 16, pr. supr. hic.—46. Authent. Contra, C. de repudiis.